

V d
1990



507/27



50, 27.

Vd
1990

IN
 REDITVM EX POLONIA
 A V G V S T I,
 REGIS CLEMENTISSIMI,
 FELICISSIMVM, IVCYNDISSIMVM
 IN
 SAXONIAM,
 PR. KAL. MAI. M. DCC. LXIII.

IOHANNES AVGVSTVS DANIEL RICHTERVS
 ANNABERGENS.
 B. A. C.

ZITTAUIAE,
 STANNO IOANNIS ERNESTI STREMELII.





Descende coelo, Calliope, melos,
Regina rupes Pierias tenens,
Dic dulce, longum tibiaque
Seu fidibus modulari carmen.



Ambit modesta Te iuuentis prece,
Regina Pindi, qui tibi uespero
Surgente fumosis in aris
Luciferoque sacratus adstat.

Cantare nolo bella ferocia,
Non arma Marti rapta furentia;
Nil est fero cum Marte vati:
Arma Dei ualeant cruenta.

Di-



Dicant poetae proelia turbida,
Gaudens equino sanguine Concanus
Hoc audiat carmen, Gelonus
Indomitus, Dolopesque fortes:

Ast nigra cantus audiat insula,
Et qui niuosas Armenii bibunt
Vndas Araxis, dum reuerso
REGE CANO PATRIAE SALVTEM.

Clamore laeto gaudia prodimus:
AVGVSTE saluc; nemo morabitur,
Concurrimus mentes serenas
Et bona uerba TIBI ferentes.

Sicut canori post reduces cygni
Stridore ludunt, quos Iouis armiger
Turbauit ales lapsa coelo
Aethereaque plaga, faceto:

X 2

Sic

Sic mente laeta TE PATRIAE PATREM,
REX, iam salutant seruitio malo
Nunc liberi ciues et adsunt,
Qua uia TE REDVCEM resumit.

Doctae forores, Castalides nouem,
Me ferte supra lucida culmina,
Me PATRIAE PATREM canentem,
Atque docete leuem poetam.

Qua luce primum contigit arduos
AVGVSTVS AEQVVS SAXONIAE suae
Fraenos gubernaculumque terrae,
Nos ueneramur EVM PARENTEM.

Iam iam uolabant tempora prospera
Curru beato, diuitias bona
Felicitas nobis parabat,
Agricolisque graues aristas.

Aesta-

Aestate sicut florea germina
Terrae fatigant mellificas apes,
Sic ciuium feruebat omne,
Quod faciebat, opus cuiusuis.

Mirum quod omni, qui uidet id, foret,
Vt faustitatem possideant eam
Ciues, ut ardentis labori
Institerint iuuenes senesque.

Iam nunc reuertit post nebulas salus,
Post bella tandem ducta fatis diu,
Qua luce primum REX reuersus
Prosper adest, abit atra cura.

CLEMENS aue REX, OPTIME principum!
Fastus proterui et crimina noxia
Iam iam tument, nec non cupido
Sordida squallet opes habendi.

Ah! sentiant iam crimina qui patrant
Omnes maligni, scepra sibi rapi!
Sed iam uident, per TE futurum
Amplius esse nihil scelesti.

Iucunda Chloris TE cumulat mage
Plenis quasillis quolibet altero,
Qui uincis almos imperantes,
Atque Theodosium beatum.

Quiuis et omnes, uir, iuuenis, senex
Adfunt, et omnis conuolat obuius,
REGIS perenni pro salute
Debita uota paramus omnes,

Viuat, precamur, uiuat AMABILIS
AVGVSTVS, ALMVM SAXONIAE DECVS!
Nunc gaudium crescet, dolori
Oppositis foribus minaci.

Vir-

Virtus redibit pristina iam breui,
Quam Mars remouit Saxoniae ferus;
Si quis recessit mente uecors
Tramite, iam cupiet uideri

Non mente prauus. Docta palaestra
Rectique cultus pectora roborant
Iam strenuae multum iuuentae,
Omne nefas animis mouetur.

Pax et reuertens nunc bona ueritas
Sub REGE nostro continuo suas
Vires resument, atque ciues
Omne scelus fugient malignum.

AVGVSTE PRAESTANS DIVVS habebis,
Omnes per annos concelebrabitur
NOMEN TVVM, Martis probroffis
Altius immodici ruinis.

Deli-

QK 7d 1990

Delicta maiorum immeriti luunt
Seri nepotes, candida sed TVAS
Clementiae laudes paternae
Posteritas decorabit omnis;

AVGVSTE VIVES, auguror, OPTIME,
VIVES beate, uiribus integer,
Ipsofque tandem Mosis annos
Pollicitos superes, rogamus,

PROLES, rogamus, REGIA floreat,
Sit RVTA florens! Sic Patriae falus
Constans uigebit, mox datura
Laetitiam diuturniorem.



m. c.

VD18

ULB Halle
008 902 33X

3



C.





50, 27.


Vd
1990

IN
REDITVM EX POLONIA
A V G V S T I,

REGIS CLEMENTISSIMI,
FELICISSIMUM, IVCVNDISSIMUM

IN
SAXONIAM,

PR. KAL. MAI. M. DCC. LXIII.



VS DANIEL RICHTERVS
BERGENS.
A. C.

AVIAE,
ERNESTI STREMELII.

